



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Art. I. Quid & quotuplex sit futurum contingens?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

# DE CAUSALITATE SCIENTIÆ DEI.

223

etiam Divina Sapientia Ecclesiastici 24. dicit se ex ore Altissimi (id est intellectu Patris) prodiisse: Ergo actus quo Deus ad extra producere creaturas, non pertinet ad voluntatem, sed ad intellectum, ut motum à voluntate.

Sicut igitur Pater æternus producit Filium per dicere notionale, ita & omnes Personæ Sanctissima Trinitatis, producent creaturas per dicere commune & essentiale; sive per actum imperij, formaliter immanentem, & virtualiter transfeuentem. Imperium autem, ut docent Theologi cum sancto Thoma 1. 2. quæst. 17. tria importat: scilicet directionem, intimationem, & motionem: duo prima habet intellectus à seipso, tertium vero illi communicatur à voluntate, quæ est primum movens quantum ad exercitium: nam haec duæ potentiae, quoad suas operationes, se mutuò juvent; intellectus dirigit voluntatem, & illam determinat ad speciem actus: voluntas movet, & applicat intellectum, illumque determinat ad exercitium: unde sicut ordo qui reperitur in actibus voluntatis, est ab intellectu dirigente, & ordinante; ita & vis movendi quæ reperitur in actu imperij, est à voluntate movente, & applicante. Unde ex hoc triplici actu, scilicet ex directione, & intimatione intellectus, ac motione voluntatis, coalescit actus efficax imperij divini, quod non solum dirigit ad creaturas rationales, sicut imperium humanum & politicum, sed etiam ad infensibiles & inanimatas: nam Deus vocat ea que non sunt, tanquam ea quæ sunt, & infensibilia illi ut sensibilia obediunt. Unde Job 38. mari dixit, *Vtque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Et Joan. 11. Christus ait Lazaro mortuo, *Lazare veni foras.* Et Matthæi 8. *imperavit venti & mari.* Ubi eleganter Hieronymus: *Ex hoc loco intelligimus, quod omnes creature sentiunt. Creatorem imperantem, non errore Hæretorum, qui omnia putant animata: sed majestate conditoris, cui sensibilia sunt, quæ apud nos sunt insensibilia.* De actu imperij plura dicemus in Tractatu de prædestinatione, disp. 1. art. 3., & in Tractatu de actibus humanis, disputatione 11. per totam.

## §. III.

### Solvuntur objectiones.

97. **C**ontra istam conclusionem objici potest: Productio creaturarū in Scriptura sæpe attribuitur divinæ voluntati: dicitur enim Psal. 134. *Omnia quecumque voluit Dominus fecit.* Et ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue:* Ergo potentia immediate opera-tiva in Deo, non est intellectus, sed voluntas.

Confirmatur: D. Thomas infra quæst. 19. art. 4. ad 4. ait, quod ejusdem effectus scientia in Deo est causa ut dirigens, voluntas ut imperans, & potentia ut exequens: Ergo secundum D. Thomam, scientia in Deo non concurreat effectivè ad productionem rerum, sed tantum directivè.

98. Respondeo quod cùm actus imperij quo Deus producit creaturas, pertineat partim ad intellectum, partim ad voluntatem, modo suprà explicato; Scriptura interdum attribuit productionem rerum divinæ volitioni, scilicet tanquam causæ moventi; interdum vero ejus dictioni, & locutioni, tanquam causa operanti, & exequenti. Unde Apostolus dicit quod Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis sua. Ubi, ut notavit Glossa, prius ponitur consilium, quod pertinet ad intellectum, & postea additur, voluntas sua: ut per hoc significetur, quod intellectus divinus, ut motus & determinatus à voluntate, est causa rerum.

**A**tais suis: ut per hoc significetur, quod intellectus divinus, ut motus & determinatus à voluntate, est causa rerum.

Ad confirmationem dicendum est, quod quando Sanctus Thomas ait quod scientia in Deo est causa dirigens, loquitur de scientia simplicis intelligentiæ, quæ concurreat tantum directivè ad productionem rerum, unde addit, *Scientia quæ concipitur forma operis.* Quibus verbis aperte significat, se loqui de scientia, quæ continet ideas rerum possibilium, quæ est scientia simplicis intelligentiæ. Cum vero subdit, quod voluntas se habet, ut causa imperans, loquitur de impetu, quatenus importat motionem & impulsum: sub qua ratione (ut diximus) pertinet ad voluntatem, non vero ad intellectum. Denique quando subiungit, quod potentia se habet ut exequens: per illam potentiam exequentem, significat ipsum intellectum, ut practicum, & ut motum ac applicatum à voluntate: sub qua ratione gerit vices potentiarum executivarum in Deo, & est immediatum principium operationis ad extra: unde ibidem ait, *intellectus speculatorius nihil dicit de operando.*

Quod si aliquis contendat, per potentiam illam exequentem, S. Doctorem significare potentiam aliquam virtualiter distinctam ab intellectu & voluntate, dicendum est cum Cajetano & Alvarez, illum id correxisse, seu potius magis explicasse infra quæst. 25. art. 1. in 2. solutione 4. argumenti, ubi dicit, *Scientia divina, secundum quod est principium effectivum, habet rationem potentie.* Quibus verbis aperte declarat, scientiam Dei ut applicatam per decrenum, habere rationem potentiarum operativarum ad extra, per actum imperij.

99.

100.

## DISPUTATIO IV.

### De scientia futurorum contingentium.

**D**ic agendum gravissimas hujus temporis, & Tractatus quæstiones, ac controversias; & reliquo, ut ita dicam, littore, in altum ducimus: ut Christus dicebat Petru Luke 5. id est (ut explicat D. Ambrofus) in profundum disputationum ingredimur. Agimus enim de scientia futurorum contingentium, quæ tot rixas & contentiones inter Patres Societatis & Thomistas excitavit. Verum cum notitia cuiuslibet scientiæ ex objecti sui cognitione maxime pendeat, priusquam celebres illas controversias discutamus, tria in hujus disputationis limine præmittenda & declaranda cœsumus, quæ magnam lucem afferent his quæ in toto ejus decursu dictuti sumus: nimirum quid sit futurum, quid contingens, & quotuplex detur futurum contingens? Unde sit

Lib. 4.  
in cap. 5.  
Luca.

#### ARTICVLVS PRIMVS.

##### Quid & quotuplex sit futurum contingens?

§. I.

Resolvitur prima pars quesiti, & declaratur in quo essentialiter consistat futurum.

**D**ico primò: Rem constitui in ratione futuræ, per determinationem, preparationem, & ordinationem causarum, ad illius productionem: ac proinde futurum rectè definiri, quod est determinatum in causa ad habendam existentiam præduratione sequenti. Est contra plures ex Recen-

1.

- ribus, qui videntes ex hac definitione futuri, se-  
qui manifestam destructionem scientia media  
(ut constabat ex infra dicendis) illam negant.  
Unde P. Annarus in libro quem edidit pro de-  
fensione scientie media disp. i. cap. 2. at aliquid  
esse futurum, nihil aliud significare, quam al-  
iquando contingere rem habere suam existentiam,  
etiam si quasi contingat casu, id est, nulla quoad  
hoc præcesserit determinatio in Deo, sed tantum  
præficiencia; & adeo firmam putat hanc doctri-  
nam, ut nihil possimus illi opponere, quantumvis  
nos excutiamus. Sed ut clarè pateat, quam parum  
soliditatis & probabilitatis habeat haec sententia.
2. Probatur primò conclusio ex D. Thoma,  
quæst. 2. de verit. art. 12. ad 7. ubi ait. *Cum dici-  
tur hoc est futurum, designatur ordo qui est in cau-  
sis illius rei ad productionem ejus. Et in 1. dist. 3. 8.  
quest. 1. art. 5. dicit, Deus videt ordinem sui ad  
rem, ex cuius potestate res erat futura: ille au-  
tem ordo, nihil aliud esse potest, quam determina-  
tio divinæ voluntatis, ad res producendas, per  
quam transferuntur, à statu merae possibilis ad statum futuritionis. Idem docet. 1. contra  
Gent. cap. 67. 1. Periherm. cap. 8. 2. 2. quæst. 171.  
art. 6. ad 2. Et in hac parte quæst. 16. art. 7. ad 3.  
ita expressè loquitur, ut nullus dubitationi relin-  
quatur locus: dicit enim, *Omne quod est, ex eo  
futurum fuit, antequam esset, quia in causa sua  
erat ut fieret: unde sublatâ causâ, non esset fu-  
turum illud fieri &c.* Et tandem in hac quæst. art.  
13. sic habet. *Alio modo potest considerari contingen-  
gens, ut est in sua causa; & ita consideratur ut fu-  
turum: Ergo ex D. Thoma, res est, & denominatur  
futura, à præparatione, ordinatione, seu deter-  
minatione causarum ad illius productionem.**
3. Probatur secundo ex D. Augustino, qui cap. 9.  
de corrept. & gratia, & lib. 6. de Genesi ad litté-  
ram cap. 17. dicit, *Deum futura facere, nihil  
aliud est, quam eorum causas preparare.* Et Tra-  
statu 68. in Joan. docet quod Deus fecit futura,  
ea predestinando.
4. Probatur tertio ratione ex dictis locis defump-  
tâ. Rem esse futuram, est aliqua denominatio  
realis, non quidem intrinseca, sed extrinseca:  
denominatio enim intrinseca non potest competere  
rei non existenti: Ergo debet ab aliqua forma  
reali & extrinseca provenire: At talis forma  
non potest esse alia, quam determinatio cause ad  
ejus productionem: Ergo rem esse futuram, ni-  
hil est aliud, quam ipsam esse determinatam in  
causa, ad habendam existentiam pro tempore se-  
quenti. Major, & prima Consequentia patent,  
Minor probatur. Talis forma non potest esse ipsa  
causa, præcisè ut potens ad producendum effec-  
tum: cùm ut sic tantum tribuat denominatio-  
nem possibilis; non potest etiam esse eadem causa,  
ut actu influens esse in effectum; sic enim dat  
denominationem existens: Ergo solum potest  
esse eadem causa, ut determinata ad dandam illi  
existentiam in duratione sequenti.
5. Respondeat Suarez prolog. 2. de gratia cap. 7.  
rem non esse, nec denominari futuram à determi-  
natione causa, sed ex habitudine ad existentiam  
pro determinato tempore habendam.
- Sed haec responsio magis confirmat, quam infirmet  
viam argumenti propositi: Cùm enim ha-  
bitudo ad existentiam pro determinato tempore  
habendam, nulli rei creatæ conveniat essentiali-  
ter, & ab intrinseco, debet ei competere ab ex-  
trinseco, & ex aliqua causa efficiente: unde cùm  
non possit si competere à tali causa, præcisè ut

A potente, & indifferentie ad dandum illi esse: ei  
convenire debet ab eadem causa, ut præpara-  
ta, & disposita, ac determinata ad ejus produ-  
ctionem.

Probatur ultimò conclusio, & magis confir-  
matur, & explicatur ratio præcedens. Res fu-  
tura constitui debet in ratione futuræ, per illud,  
per quod distinguitur à mera possibili, & ex-  
istenti: Sed ab utraque distinguitur, per hoc  
quod sit determinata in causa ad habendum alii-  
quando existentiam: Ergo per talem determina-  
tionem constituitur in ratione futuræ. Major est  
evidens, ut enim dicunt Philosophi, idem est  
constitutivum rei, ac distinctivum illius à qualibet  
alibi. Minor vero declaratur, & probatur.  
Res mera possibilis continetur in causa indeter-  
minata, & indifferenti ad dandum illi esse. Res ex-  
istentia, est totaliter extra suas causas; cùm ex-  
istentia idem sit, ac existentia rei extra causam: At-  
qui sola determinatio in causa, facit differre rem  
futuram, à re qua est omnino extra causas, & à  
re qua est in causa omnino indifferenti, & in-  
determinata: Ergo determinatio in causa, di-  
stinguit rem futuram, ab existente, & mera pos-  
sibili. Major constat, Minor etiam non est mi-  
nus evidens. Res enim futura, nondum est ex-  
tra suas causas, alias esset præsens, & existens;  
nec etiam est intra causam omnino indifferen-  
tem, & indeterminatam, ad dandam illi ex-  
istentiam; alioquin esset mera possibilis, nec  
magis esset futura, quam non futura; & cùm con-  
tineatur intra causas, & per hoc differat à  
re existente, qua est omnino extra causas; ut  
differat à mera possibili, debet esse intra causam  
cum determinatione; & sic res futura, erit illa  
qua est determinata in sua causa, ad habendam  
existentiam pro duratione sequenti.

## §. II.

## Corollaria præcedentis doctrinae.

E X dictis colliguntur primò, quod cùm sit duplex  
determinatio causarum, una infallibilis, &  
immutabilis, qualis est determinatio causa pri-  
ma: altera fallibilis, & mutabilis; qualis est  
determinatio causa secunda contingentis, vel li-  
beras, duplex etiam distingui solet futuritio: una  
certa & infallibilis, per ordinem ad causam pri-  
mam; & altera fallibilis, & impedibilis, per  
ordinem ad causas inferiores contingentes, vel  
liberas. Quod est futurum primo modo, est sim-  
pliciter, & absolutè futurum, & de eo potest  
dici simpliciter, quod erit; quod vero tantum  
secundo modo est futurum, est solum futurum  
secundum quid, nec de eo simpliciter potest dici,  
quod erit; sed cum addito tantum, ex vi scilicet  
inclinationis, & determinationis causa. Unde  
D. Thomas quæst. 12. de verit. art. 10. ad  
12. *Causa superiores qua sunt rerum rationes in  
divina præscientia, nunquam deficitur ab imple-  
tione suorum effectuum, sicut deficitur causa  
inferiores; & ideo in causis superioribus cognos-  
cuntur rerum eveniens absolute, sed in inferioribus,  
non nisi sub conditione.* Ubi per rati-  
ones rerum, intelligit ideas ut determinatas per  
decreatum divinum: sicut ipse docet quæst. 3. de  
verit. art. 6. in corp. ubi ait, *Ideæ rerum qua  
sunt, fuerint, vel erunt, determinantur ex pro-  
posito divina voluntatis.* Sunt ergo S. Doctor,  
res creatas ex ordine tantum ad divinum decre-  
tum, accipere infallibilitatem eventus: non vero

## DE SCIENTIA FUTVRORVM CONTINGENTIVM .225

ex ordine ad causas inferiores, præsertim ad contingentes, & liberas. Et in hac parte quæst. 19. art. 7. ad 2. hæc scribit: *Deus aliquando prouint aliquid futurum, secundum quod continetur in ordine causarum inferiorum, puta secundum dispositionem natura, vel meritorum, quod tamen non sit: quia aliter est in causa superiori divina.* Sicut cum Isaia predixit Ezechia, *Dispone domini tue, quia morieris, & non vives, ut habetur Isaie 38. neque tamen ita evenit, quia ab eterno aliter fuit in scientia, & voluntate divina, qua immutabilis est.* Et 2. quæst. 184. art. 1. distinguit duplēm prophetiam, unam comminationis, quæ non semper impletur, sicut quando dictum fuit Iona 3. *Aduic quadraginta dies, & Ninive subvertetur:* alteram prædestinationis, quæ semper, & infallibiliter impletur: quælis erat ista. *Ecce Virgo concipiet, & pariet, &c.*

8. Colliges secundò. Ex ordine ad causas secundas necessariò operantes, dici aliquid futurum simpliciter, id est absoluè. Ex ordine ad causas secundas contingentes, ad unum extreum propensas, dici futurum cum addito. Ex ordine verò ad causas secundas contingentes, ad utrumque se habentes, nullatenus dici futurum.

9. Probatur: Illud est futurum, quod est in causa determinatum ut fiat: At quod habet esse in causa necessaria, & immutabiliter operante, est determinatum simpliciter, in causa autem contingenti, ad unam partem magis propensa, tantum haber determinationem secundum quid; & in causa contingenti omnino indifferenti, nullam habet determinationem: Ergo ex prima dicitur futurum simpliciter, ex secunda, secundum quid tantum, ex tertia autem nullo modo.

10. Confirmatur: Id est futurum, de quo potest aliqua certitudine cognosci, quod erit: Sed quod habet esse in causa necessaria, & immutabiliter operante, potest cognosci quod erit, certitudine tali simpliciter, nempe scientifica: quod autem habet esse in causa contingenti, magis ad unam partem propensa, quam ad aliam; solum potest cognosci quod erit, certitudine conjecturali, quæ est certitudo tantum secundum quid: quod demum continetur in causa contingenti, indifferenti ad utrumlibet, nullà certitudine potest cognosci quod erit: Ergo primum est futurum simpliciter, secundum solum secundum quid, tertium nullo modo, sed tantum possibile. Ita expressè docet S. Doctor in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 5. circa medium corporis, ubi ait: *Sciendum igitur est, quod antequam res sit, non habet esse nisi in suis causis: sed causa quadam sunt ex quibus necessario sequitur effectus, quæ impediri non possunt;* & in illis habet causatum, esse certum & determinatum, ideoque potest sciri demonstrativè, si cœ est ortus Solis, Ecclipsis, & hujusmodi. Quædam autem sunt causa, ex quibus sequuntur effectus ut in majori parte, sed tamen deficiunt in minori parte: unde in ipsis effectus non habent certitudinem absolutam, sed quandam, in quantum sunt magis determinatae causa ad unum, quam ad aliud; & ideo per ipsis causas potest accipi scientia conjecturalis de futuris. Et paucis interpositis addit. Sed quadam causa sunt, quæ se habent ad utrumque, & in ipsis effectus de futuro nullam habent certitudinem, aut determinationem; & ideo contingencia ad utrumlibet in causis suis nullo modo cognosci possunt. Idem docet 1. Periherm. lect. 13. & de verit. quæst. 2. art. 12.

Tom. I.

A Dices: Quando Sanctus Thomas in his locis ponit hoc discrimen inter causas naturales, & contingentes, quod in primis effectus habent certam & determinatam futuritionem, non autem in secundis: vel in causis naturalibus, & necessariò operantibus, involvit decretum divinum prædeterminans, & applicans causas secundas ad operandum, vel illud excludit? Si primum, nulla erit differentia, quam statuit inter causas naturales, & contingentes: cum in ipsis, prout subduntur decreto efficaci, & prædeterminanti, effectus contingentes non minus infallibiliter sint determinati, quam effectus naturales in causis necessarijs. Si verò secundum dicatur, non erit verum dicere, quod effectus naturales infallibiliter evenient; cum secluso decreto prædeterminante, & applicante causas secundas ad operandum, nulla causa, etiam naturales, & necessariæ operentur.

B Respondeo, D. Thomam in his locis, neque includere, neque excludere tale decretum; sed ab illo abstrahere, non abstractione negativâ, sed merè præcisivâ: id est ad illud non attendere, nee tamen illud negare; sed intendere solum, quod quia effectus naturales, & necessarij, sunt determinati in suis causis, in illis habent certam, & infallibilem futuritionem; non tamen effectus contingentes in causis contingentibus, quæ sunt indifferentes ad utrumlibet. Nec obstar, quod Deo suspidente concursum, effectus etiam naturales, non ponentur extra causas: nam cum talis suspensio foret miraculosa, etiam miraculosum esset, quod talis effectus extra causas non ponentur: ex quo non sit falsa propositio, quæ dicitur, quod ille absoluè erit.

### §. III.

Solvitur objectio Suarez.

C O Bjicit Suarez loco suprà citato contra nostram conclusionem, & definitionem futuri in ea traditam. Si futurum esset illud quod est determinatum in causa posset aliquid fieri in tempore, quod antecedenter non esset futurum. Item posset aliquid esse futurum, quod nunquam esset præsens: Sed utrumque videtur absurdum: Ergo futurum non rectè definitur id quod in causa, ad habendam aliquando existentiam, determinatum est. Probatur sequela Majoris, quantum ad primam partem, nam posset aliquid in tempore fieri, ad quod non præcederet in causa determinatio, & inclinatio ad unam partem magis quam ad aliam, sed omnimoda indifferentia: Ergo si futuritio consistat in determinatione causæ, poterit aliquid fieri, & esse præsens in tempore, quod antecedenter non fuit futurum. Probatur etiam quantum ad secundam: Potest enim contingere causam secundam, esse ad aliquem effectum determinatam, & inclinatam, qui tamen in re non ponetur, sed ejus oppositum, quia impeditur ab alia causa superiori & potentiori: Ergo si futuritio non sit aliud, quam determinatio in causa, poterit aliquid esse futurum, quod nunquam erit præsens & existens.

D Respondeo negando sequelam Majoris, quantum ad primam partem: cum enim nihil in tempore fiat, quod non fuerit ab eterno à Deo determinatum, nihil potest esse præsens in tempore, quod non fuerit futurum ab eterno, saltem respectu causæ primæ; licet respectu causarum secundarum possit interdum contingere, quod

Ff

aliquid producatur in tempore, quod prius, prioritate temporis, & durationis, non fuit in eis determinatum, nec consequenter futurum. Duxi prioritate temporis, quia in sententia Thomistarum, nulla creatura potest in actum exire, nisi prius natura fuerit à Deo ad operandum determinata.

15. Ad secundam partem Majoris similiter dicendum est, nihil posse esse futurum per ordinem ad causam primam infallibilem, & immutabilem, quod non ponatur aliquando in tempore: per ordinem tamen ad causas secundas fallibilis, & contingentes, non repugnat quod aliquis effetus sit futurus, qui tamen nunquam erit praesens & existens, ut colligitur ex Aristotele 2. de Generat. text. 64. ubi dicit, *Futurus quis incedere, non incedet.* Quia interdum determinatio illa, quā quis volendo incedere, faciebat futuram deambulationem, vel mutatur a voluntate, vel impeditur ab alio, ne fortius suum effectum. idem docet S. Thomas 1. Periherm. cap. 8. lect. 13. Quare mirum est Suarem, in doctrina Aristotelis & D. Thoma esse adeo peregrinum, ut pro absurdo & inconvenienti reputet quod uterque apertissime tradit.

#### §. IV.

*Explicantur alia dno que restant examinanda,  
quid scilicet sit contingens, & quotplex  
sit futurum.*

16. **V**T clarè percipiatur quid sit contingens, supponeendum est ex Ferrariensi 1. contra Gent. cap. 67. effectum necessarium, & contingentem, duplice posse considerari: scilicet sub ratione entis, & sub ratione effectus. Primo modo considerantur absolute in seipsis: secundo autem, per comparationem ad causas. In prima consideratione dicitur necessarium, id quod quantum est ex propria natura, non potest deficere, ut cœlum, & Angelus, quæ ab intrinseco petunt conservari in esse, ex suppositione quod sicut; quia carent principio corruptionis inclinante ad illorum non esse: cum quo tamen sit, quod ab extrinseco anhilari possint, Deo suspendente concursum. Contingens autem dicitur, quod quantum est ex propria natura, deficere potest, quod etiam corruptibile ab intrinseco dicitur, eo quod habeat intrinsecum principium, inclinans ad illius non esse, scilicet materialm primam, quæ appetendo formam contrariam, ex consequenti appetit illius non esse; & illa necessitas, & contingentia est essentialis, & invariabiliter conveniens rebus: ita ut in quocumque statu res contingens ponatur, sit semper contingens, & necessaria, semper necessaria. In secunda autem consideratione, effectus necessarius dicitur ille, qui procedit à causa necessaria, immutabilitate agente, & quæ ab alia causa impedi non potest: contingens vero dicitur ille, qui procedit à causa quæ impedi potest, & consequenter, et si causa aliquando in ejus productionem inclinet, potest tamen non evenire.

17. Norat tamen ibidem Ferrariensis, effectum contingentem, in ratione effectus, per ordinem ad causas posse considerari duplice. Primum quantum ad naturam effectus: secundum quantum ad modum. Sub prima consideratione, semper ei convenit contingentia; quia in quocumque statu sit, semper est effectus cause impedi-

A bilis: consideratus autem quantum ad modum essendi, aliquando habet modum contingentiae, aliquando necessitatis: primum quando est intra causam, quia eti si inclinata ad ejus productionem, potest non evenire: secundum autem habet, quando est extra causas; quia omne quod est, dum est, necesse est esse, ex suppositione, & in sensu composito, non absoluto, seu in sensu diviso. Ex quibus omnibus colligi potest hæc definitio contingentis: *Contingens est id quod habet esse in causa impeditibili, sive ab intrinseco, sive ab extrinseco.*

Circa tertium quod examinandum restat, dividendum est, futurum primò dividi in absolutum, & conditionatum. Primum est cuius futuritio à nulla conditione non futura dependet. Duxi non futura: quia si conditio à qua pender, futura sit, non ideo amittit rationem futuri absoluti; ut constat in Incarnatione Christi, quæ habuit dependentiam à peccato Adami; quia tamen peccatum erat futurum, ideo Incarnatione etiam absolute futura erat.

Futurum conditionatum, est illud quod absolute non erit, estet tamen si aliqua conditio ponetur: ut si Iudas ageret paenitentiam, veniam consequeretur. Si Christus prædicasset Evangelium Tyriss, & Sydonijs, illi credidissent, & egissent paenitentiam.

C Rursus hoc futurum est duplex: Unum quod cum conditione nullam connexionem habet, & solet appellari *disparatum*. Aliud quod cum illa, aliquâ connexione connectitur. Exemplum primi, *Si capra saltet, arbor florebit. Si gallus cantet, Turca convertebitur.* Secundum quod non *disparatum* vocatur, est multiplex. Unum quod cum conditione, metaphysicâ certitudine est connexum, quale est istud in nostra sententia: *Si Deus voluntatem creatam ad paenitendum præmoveat, paenitebit.* Aliud quod cum conditione habet connexionem certainam tantum moraliter, consistentem in hoc, quod conditione positâ, semper eveniet, licet possit physicè non evenire, etiam in sensu composito: v. g. *Si homo gravi tentatione pulsatur, & speciali gratiâ non adjuvetur, tentationi succumbet.* Licet enim possit potentia physica resistere, absque speciali gratia Dei, gravi tentationi contra præcepta naturalia; moraliter tamen non potest, sed semper succumbet. De *Disput. de Gratia.* Aliud est quod cum *art. 6.* conditione habet connexionem tantum probabilem, v. g. *Si fuerit mater, diligit filium. Si Petrus confititus in necessitate, a Paulo sibi amicissimo eleemosinam petat, accipiet.* In quibus tantum probabilitate, futura cum conditione connectuntur; & hoc conditionatum probabile, suscipit magis aut minus, juxta plura, vel pauciora probabilitatis motiva.

#### ARTICVLVS II.

*An sit in Deo certa & infallibilis  
futuorum contingentium  
scientia?*

Q VIDAM antiqui Philosophi futuorum contingentium præscientiam Deo denegarunt. Ex illorum numero insignis est maximè Cicero, qui libro 2. de divinatione, notitiam admittit Deo horum futuorum, quæ à causis liberis pendent,